HIERONYMUS
Admont (?), 1. Hälfte 12. Jh. Seite 95r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uorax flamma consumat. & erit inquit ppli iudeorum quasi
de incendio cinis infelicitatis magnitudinem fauillę reli
quiis demonstrantes. spinę enim eorum quę peccatorum multitu
dine congregatę sunt incendio uorabuntur; quod plerique ad
extremam captiuitatem & subuersionem referunt ierusalem. alii
plenius atque perfectius iudicii tempore futurum esse confir
mant. Audite qui longe estis que fecerim. & cognos
cite uicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in syon
peccatores. possedit tremor ypocritas. Quis poterit
habitare de uobis cum igne deuorante. Quis habita
uit ex uobis cum ardoribus sempiternis. Qui ambulat in
iusticiis & loquitur ueritates. qui proicit auariciam & ca
lumpniam & excutit manus suas ab omni munere. Qui
obdurat aures suas ne audiat sanguinem. & claudit
oculos suos ne uideat malum. iste in excelsis habitabit;
munimenta saxorum sublimitas eius. panis ei datus est. aque
eius fideles sunt. regem in decore suo uidebit. oculi eius cernent
terram de longe. cor tuum meditabitur timorem. Ubi est scriba
ubi legis uerba ponderans. ubi doctor paruulorum. populum
inprudentem non uidebis. populum alti sermonis ita ut non possis
intellegere disertitudinem lingue eius. in quo nulla est sapi
entia. Lxx. Audient qui longe sunt que fecerim. scient qui
adpropiant fortitudinem meam. recesserunt qui erant in syon
iniqui. apprehendet tremor impios. quis annuntiat uo
bis. quomodo ignis ardet. quis adnuntiat uobis locum eternum.
qui ambulat in iusticia & loquitur rectam uiam & odit im
pietatem & iniquitatem & manus excutit a muneribus
& obdurat aures ut non audiat iudicium sanguinis. &
claudit oculos ne uideat iniquitatem. iste habitabit